

betur, ne de cætero quispiam libros, aut scripturas, seu quinterna, vel folia tam impressa, quam manuscripta bibliothecis Fratrum ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum donata, vel donanda, quibusvis personis (præterquam Fratribus dicti ordinis, qui quidem libros a bibliothecis hujusmodi respectivè de superioris, seu bibliothecarii pro tempore existentis licentia extrahere, et eis pro communi conventuum hujusmodi, et particulari Fratrum dicti Ordinis usu in suis cellulis, Fratribus quoque ejusdem Ordinis verbum Dei prædicantibus, qui etiam extra suos conventus uti possint, sed finito usu hujusmodi ad dictas bibliothecas respectivè, sub prædictis pœnis subito reportare omnino debeant) commodare, aut sub quovis quæsito colore a dictis bibliothecis extrahere, et asportare, seu ut commodentur, aut extrahantur, et asportentur permittere, aut consentire audeat, seu præsumat. Alexander VII, in Bullar. Rom., tom. V, constit. 21, quæ incipit: *Conservationi*.

(29. « 1657, 2 Octobris. Universis et singulis personis ecclesiasticis, tam sæcularibus, quam regularibus, ac etiam laicis interdicitur, et prohibetur, ne sub quovis prætextu, per se, vel alios e bibliotheca Sancti Martini de Senis ordinis Eremitarum S. Augustini, libros, sive typis editos, sive manuscriptos, nec non picturas, et antiquitates extrahere, seu extrahi facere, vel ut extrahantur permittere audeant, seu præsumant, sub excommunicationis pœna latæ sententiæ (reservata Papæ absolute), et insuper quoad regulares, etiam privationis vocis activæ, et passivæ eo ipso incurrenda. Alexander VII, in Bullar. Rom., tom. V, constit. 43, incip. *Cum sicut*. »

(30. « 1658, 24 Septembris. Interdicitur, et prohibetur sub excommunicationis latæ sententiæ, ac privationis vocis activæ, et

SUMMARIUM.

1. Libri prohibiti ex Indice sunt triplicis classis. — 2. Qui sint libri prohibiti in prima classe? — 3. Qui sint libri prohibiti in secunda classe? — 4. Qui sint libri prohibiti in tertia classe? — 5. Libri prohibiti in prima et secunda classe dupliciter differunt inter se, et assignatur talis differentia. — 6. Libri prohibiti in tertia classe, non ideo ponuntur in tertia et ultima classe, quasi sint minoris periculi, et malitiæ, adeoque minus prohibiti, ut male olim plures existimarunt. — 7. Unde ad evitandam confusionem, quam ob dictam malam intelligentiam pariebat recensita in tres classes librorum prohibitorum divisio, Novus librorum prohibitorum Index de mandato Alexand. VII fuit editus; retentis adhuc regulis prioris Indicii. — 8. Adducuntur regulæ Indicii. — 9. Alexander VII omnes pœnas, et censuras contra legentes, retinentes, etc. libros prohibitos hactenus latas, reduxit ad pœnas contentas in constitut. Pii IV, incip. *Dominici gregis*, super dicti Indicii Tridentini confirmatione edita. — 10. Pœnæ, et censuræ in dicta constit. Pii IV contentæ referuntur. — 11. Dicta constit. Pii IV, quos libros, et qua pœna eos percutiat? — 12. Legentes, tenentes, etc. libros prohibitos solum, quia sunt contra

passivæ pœnis per contrafacientes eo ipso incurrendis, ne quispiam libros, quinterna, scripturas publicas, et privatas, indulta, privilegia, tam impressa, quam manuscripta ex archiviis, et conventibus, ac bibliothecis Canonicorum Regularium congregationis S. Augustini in regno Portugalie existentibus extrahere, aut aliis commodare audeat, seu præsumat. Alexander VII, in Bullar. Rom., tom. V, constit. 56, quæ incipit: *Conservationi*.

(31. « 1708, 21 Novembris. Interdicitur et prohibetur, ne quispiam extrahat quomodolibet libros, chartas, et mobilia quæcumque ex bibliotheca monasterii SS. Fabiani, et Sebastiani extra muros Urbis, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Papæ reservatæ, et quo ad regulares, etiam privationis vocis activæ, et passivæ. Clemens XI, constit. *Cum sicut dilectus*. »

(32. « 1713, 19 Maii. Interdicitur, et prohibetur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Papæ reservatæ, et quo ad regulares, etiam privationis vocis activæ, et passivæ, ne quispiam extrahat libros, et quinterna bibliothecæ conventus S. Mariæ Majoris Tiburis ordinis Fratrum Minorum de observantia S. Francisci, extra ipsum conventum, absque auctoritate Apostolica. Clemens XI, constit. incipit. *Cum sicut dilectus*. »

(33. « 1720, 12 Julii. Interdicitur, et prohibetur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Papæ reservatæ, et quo ad regulares, etiam privationis vocis activæ, et passivæ eo ipso absque alia declaratione incurrenda, ne quispiam præsumat extrahere, vel asportare libros, et scripturas ex publica bibliotheca nuper a Sanctitate Sua in conventu Fratrum ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum civitatis Urbinatensis instituta. Clemens XI, constit. incip. *Cum nos*. »

LIBRI PROHIBITI.

bonos mores, et hujusmodi, nullam incurrunt excommunicationem, sunt tamen denunciandi. — 13. Adducitur ad hoc constitutio Apostolica. — 14. Hinc qui assereret, posse in conscientia retineri libros prohibitos non ob hæresim, nec falsi dogmatis suspicionem, sed solum ob aliam causam, esset denunciandus, ut assertor propositionis temerariæ, et scandalosæ. — 15. Item denunciandus esset, qui assereret, quod libri non perpetuo prohibiti, sed donec expurgentur, possunt retineri usque ad adhibita diligentia corrigantur; sicuti etiam denunciandi essent retinentes tales libros. — 16. Habentes libros quomodocumque prohibitos, non satisfaciunt illos comburendo, sed necessario eos deferre debent inquisitoribus. — 17. Unde libros prohibitos propria auctoritate comburentes, et ipsos non consignantes inquisitoribus, cum possunt sine gravi suo incommodo et periculo, peccant mortaliter. — 18. Non incurrunt autem excommunicationem, aliasque pœnas latas a Julio III et Pio IV, usque ad n. 21.—22. Qui consignant dictos libros prohibitos aliis habentibus licentiam illos legendi, non abdicantes a se dominium, sed tantum deponentes ad tempus, incurrunt excommunicationem. — 23. Econtra si illos ipsis tradant, abdicantes a se dominium, possessionem, licite faciunt, et religiosos, imo et alii sæculares

satisfaciunt, si tradant in locum sequestratum, ut in bibliothecis regularium, usque ad n. 24. Card. autem Petra sentit contrarium, et quidem tutius. — 25. Licentiæ legendi libros prohibitos non possunt hodie concedi, nisi a Summo Pontifice, et a sac. Congr. S. Officii, aut a specialiter deputatis ab ipsis. — 26. Unde eas concedere non possunt cardinales, episcopi, inquisitores, nec generales ordinum, imo nec ipsimet possunt tales libros prohibitos legere, nisi habeant specialem sibi concessam licentiam.

(1. Libri prohibiti ex Indice sunt triplicis classis. *Communis*, et patet ex ipsorum Indice jussu concilii Tridentini edito, et a Pio IV approbato in const. incipiente *Dominici gregis*. (2. Libri prohibiti in prima classe sunt illi, qui sunt damnati, seu prohibiti propter eorum auctores, quatenus ipsi sunt hæretici, aut de hæresi publice, et communiter suspecti; unde omnes istorum libri tam editi, quam edendi, de religione ex professo tractantes, quamvis de ea bene tractent, et nullam hæresim contineant, sunt prohibiti in prima classe, quia, ut expresse habet summarium, in cap. *Fraternitatis 4, De hæreticis*, ibi: « Damnato auctore, damnantur ejus scripturæ, et libri et opera. »

(3. Libri prohibiti in secunda classe sunt illi qui sunt prohibiti, non propter eorum auctores, qui sunt catholici, sed propter non sanam, et moribus fidelium repugnantem doctrinam; aut aliquam, quam incidenter continent hæresim, aut falsi dogmatis suspicionem.

(4. Libri prohibiti in tertia classe sunt illi qui sunt prohibiti propter ignotum nomen auctoris, et ob doctrinam quam continent malam, sive in genere *moris*, sive in genere *religionis*, sive in genere *fidei*.

(5. Libri prohibiti in prima, et secunda classe dupliciter differunt inter se. *Primo*, quia libri prohibiti in prima classe, sunt prohibiti principaliter propter eorum auctores, qui sunt hæretici, ideoque omnes eorum libri de religione tractantes, etiamsi sanam doctrinam contineant, sunt prohibiti. Libri vero prohibiti in secunda classe sunt prohibiti principaliter propter materiam pravam, quam continent, et non propter eorum auctores, qui sunt fideles Catholici. *Secundo*, quia libri prohibiti in prima classe, sunt prohibiti duplici excommunicatione, scilicet, et excommunicatione bullæ Cœnæ, et excommunicatione Indicii, et Pii V ex constitut. incipiente; *Dominici gregis*. Libri vero prohibiti in secunda classe sunt prohibiti sola excommunicatione Indicii, et Pii IV

(6. Libri prohibiti in tertia classe, non ideo in tertia, et ultima classe ponuntur, quasi sint minoris periculi, et malitiæ, adeoque minus prohibiti, ut olim plures etiam ex classicis doctoribus existimarunt, putantes, quod gravitas malitiæ, periculi, et consequenter prohibitionis, desumenda esset ex ordine classis, ita ut magis essent perniciosi, et prohibiti, qui in prima classe, minus qui in secunda, et multo minus qui in tertia classe. Nam contrarium a parte rei se habet, cum plures libri, ob ignotum auctorem, in tertia classe prohibiti, sint

— 27. Quot conditiones requirantur, et quæ ad incurr. excom. Papæ reservatam, quæ lata est in bulla Cœnæ, ad n. 58. — 39. Quinam veniant sub nomine *legentium* ad incurrendam censuram bullæ Cœnæ, ad n. 43. — 44. Quinam vero veniant sub nomine *retinentium*, ad n. 57. — 58. Et quinam sub nomine *imprintentium*, ad n. 63. — 64. Quinam denique sub nomine *defendentium*, ad n. 66. — 67. Alia ad rem, ad n. 71. — Sequitur Appendix, sive novus de librorum prohibitionem articulus.

multo perniciosiores, quam libri prohibiti in prima, et secunda classe, uti expresse dicit Alexander VII, in constitutione super observatione librorum prohibitorum, incipiente *Speculatores domus Israel*, ubi § 1 postquam dicit, quod « illa classium (trium scilicet supra specificatarum) distinctio plurimos non modo vulgares, sed etiam eruditos decipiebat, dum ex earum ordine confixionis gravitatem aestimabant, quasi severius actum semper videatur cum legentibus anteriorum, quam posteriorum classium librorum; quod tamen secus esse ex ipsa classium institutione a concil. Trident. facta colligi facile potest. » Addit prope finem: « Contingit ut plerique libri ignoti auctoris, qui tertiæ classi assignantur, multo pejores sint, quam in prima, aut secunda recensiti. »

(7. In qua constitutione dictus Pontifex, ad vitandam confusionem, quam pariebat recensita in tres classes librorum prohibitorum divisio, novum librorum prohibitorum Indicem fieri decrevit, in quo, omissa illa trium classium distinctione, reponerentur ordine alphabetico non solum libri prioris Indicii, sed etiam illi, qui de novo in dies prohibiti fuerint. Quem Indicem, et successores Pontifices servari et continuari fecerunt usque in præsens; cum sola significatione illorum librorum, qui sunt primæ classis, utpote speciali nota digni, per ly 1 *Cl.* ad denotandum, quod libri in hoc novo indice tali signo notati, sunt prohibiti in prima classe. Quoad regulas autem generales nihil a dicto Pontifice in tali constitutione fuit immutatum; immo easdemmet veteris Indicii strictè observari præcipit, et adhuc in præsentiarum adamussim observantur, et ad hunc finem in novo Indice reponuntur, cum quibusdam observationibus Clem. VIII ad regulam decimam, quæ, ut ab omnibus tali novo Indice carentibus in promptu habeantur, hic ad litteram dantur, prout ibi continentur una cum ipsis regulis.

(8. REGULÆ INDICIS

Sacrosanctæ synodi Tridentinæ jussu editæ.

REGULA I.

Libri omnes, quos ante an. 1515, aut Summi Pontifices, aut concilia œcumenica damnarunt, et in hoc Indice non sunt eodem modo damnati, esse censeantur, sicut olim damnati fuerunt.

REGULA II.

Hæresiarcharum libri, tam eorum, qui post prædictum annum hæreses invenerunt, vel suscitaverunt, quam qui hæreticorum ca-

pita, aut duces sunt, vel fuerunt, quales sunt Lutherus, Zuinglius, Calvinus, Balthasar Facimontanus, Schuvenfeldius, et his similes, cujuscumque nominis, tituli, aut argumenti existant, omnino prohibentur.

Aliorum autem hæreticorum libri, qui de Religione quidem ex professo tractant, omnino damnantur.

Qui vero de religione non tractant, a theologis catholicis, jussu episcoporum, et inquisitorum, examinati, et approbati permittuntur.

Libri etiam catholice conscripti, tam ab illis qui postea in hæresim lapsi sunt, quam ab illis qui post lapsum, ad Ecclesiæ gremium rediere, approbati a facultate theologica alicujus universitatis catholice, vel ab inquisitione generali, permitti poterunt.

REGULA III.

Versiones scriptorum etiam ecclesiasticorum, quæ hactenus editæ sunt a damnatis auctoribus, modo nihil contra sanam doctrinam contineant, permittuntur.

Librorum autem Veteris Testamenti versiones viris tantum doctis, et piis, judicio episcopi, concedi poterunt, modo hujusmodi versionibus tamquam elucidantibus vulgatæ editionis, ad intelligendam sacram Scripturam, non autem tanquam sacro textu utantur.

Versiones vero Novi Testamenti ab auctoribus 1. Classis hujus Indicis factæ, nemini concedantur, quia utilitatis parum, periculi vero plurimum lectoribus ex earum lectione manare solet.

Si quæ vero adnotationes cum hujusmodi, quæ permittuntur versionibus, vel cum vulgata editione circumferuntur, expunctis locis suspectis a facultate theologica alicujus universitatis catholice, aut inquisitione generali, permitti eisdem poterunt quibus et versiones.

Quibus conditionibus totum volumen Bibliorum, quod vulgo Biblia Vatabli dicitur, aut partes ejus, concedi viris piis, et doctis poterunt.

Ex Bibliis vero Isidori Clarii Brixiani prologus, et prolegomena præcidantur, ejus vero textum nemo textum vulgatæ editionis esse existimet.

REGULA IV.

Cum experimento manifestum sit, si Sac. Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri; hac in parte judicio episcopi, aut inquisitoris stetur, ut cum consilio parochi, vel confessorii Bibliorum a catholicis auctoribus versorum lectionem vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei, atque pietatis augmentum capere posse, quam facultatem in scriptis habeant.

Qui autem, absque tali facultate ea legere, seu habere præsumpserit, nisi prius Bibliis ordinario redditus, peccatorum absolutionem percipere non possit.

Bibliopolæ vero, qui prædictam facultatem non habentes, Biblia idiomate vulgari conscripta vendiderint, vel alio quovis modo concesserint, librorum pretium in usus pios ab episcopo convertendum, amittant; aliisque pœnis pro delicti qualitate ejusdem episcopi arbitrio subjaceant.

Regulares vero, nonnisi facultate a prælatis suis habita, ea legere, aut emere possint.

REGULA V.

Libri illi, qui hæreticorum auctorum opera interdum prodeunt, in quibus nulla, aut pauca de suo apponunt, sed aliorum dicta colligunt, cujusmodi sunt Lexica, Concordantiæ, Apophthegmata, Similitudines, Indices, et hujusmodi, si quæ habeant admixta, quæ expurgatione indigeant, illis episcopi et inquisitoris, una cum theologorum catholicorum consilio, sublatis, aut emendatis, permittantur.

REGULA VI.

Libri vulgari idiomate de controversiis inter Catholicos et hæreticos nostri temporis disserentes, non passim permittantur, sed idem de iis servetur, quod de Bibliis vulgari lingua scriptis statutum est.

Qui vero de ratione bene vivendi, contemplandi, confitendi, ac similibus argumentis vulgari sermone conscripti sunt, si sanam doctrinam contineant, non est cur prohibeantur, sicuti nec sermones populares vulgari lingua prohibiti.

Quod si hactenus, in aliquo regno, vel provincia aliqui libri sunt prohibiti, quod nonnulla contineant, quæ sine delectu ab omnibus legi non expediat, si eorum auctores catholici sunt, postquam emendati fuerint, permitti ab episcopo et inquisitore poterunt.

REGULA VII.

Libri, qui res lascivas, seu obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent, cum non solum fidei, sed et morum, qui hujusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur, et qui eos habuerint, severe ab episcopis puniantur.

Antiqui vero ab ethnicis conscripti, propter sermonis elegantiam, et proprietatem permittuntur: nulla tamen ratione pueris prælegendi erunt.

REGULA VIII.

Libri quorum principale argumentum bonum est, in quibus tamen obiter aliqua inserta sunt, quæ ad hæresim, seu impietatem, divinationem, seu superstitionem spectant, a catholicis theologis, inquisitionis generalis auctoritate, expurgati concedi possunt.

Idem judicium sit de prologis, summariis, seu annotationibus, quæ a damnatis auctoribus libris non damnatis appositæ sunt: sed posthac nonnisi emendati excudantur.

REGULA IX.

Libri omnes, et scripta geomantiæ, hydromantiæ, aeromantiæ, pyromantiæ, onomantiæ, chiromantiæ, necromantiæ, sive in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes artis magicæ prorsus rejiciantur.

Episcopi vero diligenter provideant, ne astrologiæ judiciariæ libri, tractatus, indices legantur, vel habeantur, qui de futuris contingentibus, successibus, fortuitis casibus, aut iis actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certo aliquid eventurum affirmare audent.

Permittuntur autem judicia, et naturales observationes, quæ navigationis, agriculturæ, seu medicæ artis avandæ gratia conscripta sunt.

REGULA X.

In librorum, aliarumve scripturarum impressione servetur quod in concilio Lateranensi sub Leone X, sess. xx, factum est.

Quare si in Alma Urbe Roma liber aliquis sit imprimendus, per vicarium Summi Pontificis, et Sacri Palatii magistrum, vel personam a Sanctiss. Dom. N. deputandam prius examinetur.

In aliis vero locis ab episcop. vel alium habentem scientiam libri, vel scripturæ imprimendæ, ab eodem episcopo deputandum, ac inquisitorem hæreticæ pravitatis ejus civitatis vel diœcesis, in qua impressio fiet, ejus approbatio, et examen pertineat, et per eorum manum, propria subscriptione gratis, et sine dilatione imponendam, sub pœnis, et censuris in eodem decreto contentis, approbetur; hac lege et conditione addita, ut exemplum libri imprimendi authenticum, et manu auctoris subscriptum apud examinatorem remaneat.

Eos vero, qui libellos manuscriptos vulgant, nisi ante examinati, probatique fuerint, iisdem pœnis subijci debere judicaverunt Patres deputati, quibus impressores. Et qui eos habuerint, et legerint, nisi auctores prodierint, pro auctoribus habeantur.

Ipsa vero hujusmodi librorum probatio in scriptis detur, et in fronte libri, vel scripti, vel impressi authentice appareat, probatioque et examen, ac cætera gratis fiant.

Præterea in singulis civitatibus, ac diœcesibus, domus, vel loci, ubi ars impressoria exercetur, et bibliothecæ librorum venalium sæpius visitentur a personis ad id deputandis ab episcopo, sive ejus vicario, atque etiam ab inquisitore hæreticæ pravitatis, ut nihil eorum quæ prohibentur, aut imprimatur, aut vendatur, aut habeatur.

Omnes vero librarii, et quicumque librorum venditores habeant in suis bibliothecis Indicem librorum venalium, quos habent, cum subscriptione dictarum personarum; nec alios libros habeant, aut vendant, aut quacumque ratione tradant sine licentiæ eorundem deputatorum, sub pœna amissionis librorum, et aliis arbitrio episcopo-

rum, vel inquisitorum imponendis; emptores vero, lectores, vel impressores eorundem arbitrio puniantur.

Quod si aliqui libros quoscunque in aliquam civitatem introducant, teneantur iisdem personis deputandis renunciare; vel si locus publicus mercibus ejusmodi constitutus sit, ministri publici ejus loci, prædictis personis significant libros esse adductos.

Nemo vero audeat librum, quem ipse, vel alius in civitatem introducit, alicui legendum tradere, vel aliqua ratione alienare, aut commodare, nisi ostenso prius libro, et habita licentiâ a personis deputandis, aut nisi notorie constet, librum jam esse omnibus permissum.

Idem quoque servetur ab heredibus, et executoribus ultimarum voluntatum, ut libros a defuncto relictos, sive eorum Indicem illis personis deputandis offerant, ab iis licentiâ obtineant, priusquam eis utantur, aut in alias personas quacumque ratione eos transferant.

In his autem omnibus, et singulis, pœna statuatur, vel amissionis librorum, vel alia, arbitrio eorundem episcoporum, vel inquisitorum, pro qualitate contumaciæ, vel delicti.

Circa vero libros, quos Patres deputati aut examinarunt, aut expurgarunt, aut expurgandos tradiderunt, aut certis conditionibus, ut rursus excuderentur, concesserunt, quidquid illos statuisse constiterit, tam bibliopolæ, quam cæteri observent.

Liberum tamen sit episcopis, aut inquisitoribus generalibus, secundum facultatem, quam habent, eos etiam libros, qui his regulis permitti videntur, prohibere, si hoc in suis regnis, aut provinciis, vel diœcesibus expedire judicaverint.

Cæterum nomina eorum librorum, qui a Patribus deputatis purgati sunt, tum eorum, quibus illi hanc provinciam dederunt, eorundem deputatorum Secretarius notario sacr. universalis Inquisitionis Romanæ descripta Sanctiss. D. N. jussu tradat.

Ad extremum vero omnibus fidelibus præcipitur, ne quis audeat contra harum regularum præscriptum, aut hujus Indicis prohibitionem, libros aliquos legere, aut habere.

Quod si quis libros hæreticorum, vel cujusvis auctoris scripta, ob hæresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, sive habuerit, statim in excommunicationis sententiam incurrat.

Qui vero libros, alio nomine interdictos, legerit, aut habuerit, præter peccati mortalis reatum, quo afficitur, judicio episcoporum severe puniantur.

Observationes ad regulam quartam et nonam Clementis Papæ VIII jussu factæ.

Circa quartam Regulam.

Animadvertendum est circa prædictam quartam regulam Indicis fel. rec. Pii IV nullam per hanc impressionem, et editionem de novo tribui facultatem episcopis, vel inquisitoribus, aut regularium superio-

ribus, concedendi licentiam emendi, legendi, aut retinendi Biblia vulgari lingua edita, cum hactenus, mandato, et usu sanctæ romanæ et universalis Inquisitionis, sublata eis fuerit facultas concedendi hujusmodi licentias legendi, vel retinendi Biblia vulgaria, aut alias Sacræ Scripturæ, tam Novi quam Veteris Testamenti partes, quavis vulgari lingua editas, ac insuper summaria, et compendia, etiam historica, eorundem bibliorum, seu librorum sacræ Scripturæ, et quocumque vulgari idiomate conscripta, quod quidem inviolate servandum est.

ADDITIO.

* Quod si hujusmodi Bibliorum versiones vulgari lingua fuerint ab Apostolica Sede approbatæ, aut editæ cum annotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiæ Patribus, vel ex doctis, catholicisque viris, conceduntur, *Decret. S. Congreg. Indicis 13 Junii 1757* *.

Circa nonam Regulam.

Circa regulam IX ejusdem Indicis, ab episcopis, et inquisitoribus Christi fideles sedulo admonendi sunt, quod in legentes, aut retinentes contra regulam hanc libros hujusmodi astrologiæ, divinationum, sortilegiorum, rerumque aliarum in eadem regula expressarum, procedi potest, non modo per ipsos episcopos et ordinarios, sed etiam per inquisitores locorum, ex constitut. fel. rec. Sixti Papæ quinti, contra exercentes astrologiæ judiciariæ artem, et alia quæcumque divinationum genera, librosque de eis legentes, ac tenentes, promulgata. Sub Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarn. Dom. MDLXXXV, Nonis Jan., pontificatus sui anno primo.

De Thalmud, et aliis libris Hebræorum.

Quamvis in tertia classe Indicis prædicti Pii Papæ IV, sub littera T. Thalmud Hebræorum, ejusque glossæ, annotationes, interpretationes et expositiones omnes prohibeantur; sed, quod si absque nomine Thalmud, et sine injuriis et calumniis in religionem christianam aliquando prodissent, tolerarentur, quia tamen sanctissimus D. noster Dominus Clemens Papa VIII, per suam constitutionem contra impia scripta, et libros Hebræorum, sub datum Romæ apud Sanctum Petrum, Incarnat. Dom. MDXCIII, pridie Kal. Martii, pontific. sui anno secundo, illos prohibuit, atque damnavit: mens ipsius non est, eos propterea ullatenus, etiam sub illis conditionibus, permittendi, aut tolerandi; sed specialiter, et expresse statuit, et vult, ut hujusmodi impii Thalmudici, Cabalistici, alique nefarii Hebræorum libri omnino damnati, et prohibiti maneant, et censeantur, atque super eis, et aliis libris hujusmodi prædicta constitutio perpetuo, et inviolabiliter observetur.

De libro Magazor.

Ad hæc sciant episcopi, ordinarii, et inquisitores locorum, librum *Magazor* Hebræorum, qui continet partem officiorum, et cæremoniarum ipsorum, et Synagogæ, Lusitanica, Hispanica, Gallica, Germanica, Ita-

lica, aut quavis alia vulgari lingua, præterquam Hebræa, editum, jamdiu, ex speciali decreto, rationabiliter prohibitum esse. Idcirco provideant illum nullatenus permitti, aut tolerari debere, nisi Hebraica lingua prædicta.

De libris Joannis Bodini.

Cum in appendice 2 classis sub littera I, dicatur: «Joannis Bodini Andegavensis, *Dæmonomania* omnino prohibetur; liber vero *De Republica*, et *Methodus ad facilem historiarum cognitionem* tandiu prohibita sint, quousque ab auctore expurgata cum approbatione mag. sac. palatii prodierint,» id quidem per errorem fortasse librarii factum creditur: nam liber *De Republica* ejusdem Joann. Bodini, primum die 25 mensis Octob. MDXCII, deinde liber *Dæmonomania*, die 1 mensis Septemb. MDXCIV, ab eodem Sanctiss. D. N. Papa simpliciter damnati sunt, ac proinde uterque damnatus, et prohibitus censendus est.

Observationes ad regulam decimam Alexandri Papæ VII jussu additæ.

Observandum est circa Regulam decimam, quod degentes in statu Sedi Apostolicæ mediate, vel immediate subjecto, non possunt transmitti libros a se compositos alibi imprimendos, sine expressa approbatione, et in scriptis Em. ac Rev. D. card. Sanctiss. D. N. vicarii, et mag. sac. pal. si in Urbe; si vero extra Urbem existant, sine ordinarii loci illius, sive ab illo deputatorum facultate, et licentia operi infigenda.

Qui vero super impressione librorum ordinariam, aut delegatam auctoritatem exercent, dent operam, ne ad examen librorum hujusmodi personas affectui auctorum quomodolibet addictas, præsertim vero propinquitate illos, aut alia quantumvis a longa petita ea sit (veri et sinceri judicii corruptrice) necessitudine contingentes admittant; super omnia autem ab oblatis sibi in hanc operam per eosdem auctores censoribus caveant. Sed iis demum utantur, quos doctrina, morumque integritate probatos ab omni suspitione gratiæ intactos, ac si fieri potest, auctoribus ipsis ignotos, et unius boni publici, Deique gloriæ studiosos cognoverint; quo vero ad auctores regulares, cujuscumque ordinis, et instituti sint, illud præterea observandum, et ne eorum scripta, vel opera aliis ejusdem instituti regularibus examinanda committantur, sed alterius ordinis, et instituti viri pii, doctique, et a partium studio, atque ab amoris et odii stimulis prorsus remoti eligantur; per hoc autem non tollitur, quin intra eorumdem Regularium ordinem per religiosos ejusdem ordinis, superiorum suorum jussu, præfati libri examinari debeant.

9. Advertendum venit quod dictus Alexander VII, in cit. constit. incip. *Speculatores domus Israel*, omnes penas, et censuras contra legentes, et retinentes, etc., libros prohibitos hactenus latas, exceptis latis in bulla Cœnæ, reduxit ad penas contentas in constitutione Pii IV quæ incip. *Dominici*

gregis, super dicti Indicis Tridentini confirmatione edita. En verba prædicta dictæ constitutionis Alexandri VII. «Indicem (*suppletu* librorum prohibitorum) observari mandamus, et præcipimus, sub pœnis in constitutione fel. mem. Pii IV etiam prædecessoris nostri super dicti Indicis Tridentini confirmatione edita contentis, ad quas varietatis veterum decretorum in proponendis transgredientium pœnis tollendæ gratia, omnes, et singulas penas per constitutiones apostolicas, et decreta anteriora hujusmodi quomodolibet inflicta, harum serie reducimus: firmis tamen manentibus his, quæ de auctoribus et libris damnatis in litteris apostolicis die cœnæ Domini publicari solitis sancta sunt, circa qua nihil omnino mutare, ac ne contingere quidem intendimus.»

10. Pœnæ autem, et censura contentæ in dicta constitutione Pii IV exprimuntur per præcisa ipsius verba: «Si quis autem adversus eas regulas, prohibitionemque fecerit, is quidem, qui hæreticorum libros, vel cujusvis auctoris scripta propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, habueritve, ipso jure in excommunicationis pœnam incidat, eamque ob causam in eum, uti de hæresi suspectum, inquiri, et procedi liceat; præter alias penas super hoc ab Apostolica Sede, sacrisque canonibus constitutas. Qui autem libros alia de causa prohibitos legerit, habueritve, præter peccati mortalis reatum, episcoporum arbitrio severe se noverint puniendos.»

11. Unde, ut vides, hæc constitutio Pii IV percussit solummodo excommunicatione lata sententiæ non reservata, libros quoscumque hæreticorum, et libros, aut scripta, propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem prohibita, sive sint hæreticorum, sive catholicorum; nulla autem excommunicatione percussit libros catholicorum prohibitos ob aliam causam, v. gr. quia sunt contra bonos mores, pacem, et charitatem, et hujusmodi, sed solum declarat ipsos legentes, et retinentes incurrere peccati mortalis reatum, et esse severe episcoporum arbitrio puniendos.

12. Cæterum licet legentes, tenentes, etc., libros prohibitos, solum quia sunt contra bonos mores, pacem, et charitatem, seu hujusmodi, nullam incurrant excommunicationem, sunt tamen denunciandi, ut clare patet ex bulla Gregorii XV incip. *Apostolatus officium*, edita 30. decembr. 1621 et innovata ab Urbano VIII 2 April. 1631, ut sequitur.

13. «Apostolatus officium, etc. Cum librorum lectio magno sinceræ fidei cultoribus detrimento esse noscatur, et, sicut accepimus, nimis excessiva sit licentia hujusmodi libros legendi, et habendi libros quoscumque ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, seu per constitut. Apostolicas, etiam astrologiæ judiciariæ, vel alios quomodolibet prohibitos, quibuscumque personis laicis, et ecclesiasticis, tam sæcularibus, quam regularibus, cujuscumque ordinis, societatis, et instituti existentibus, ac quocumque dignitate, etiam ecclesiastica ful-

gentibus, etc. etiam speciali nota, et mentione dignis etc. ex quacumque causa, etc. concessa, etc. revocamus, cassamus, et annullamus, etc. quinimo libros per licentias hujusmodi permissos legentes, aut habentes, pœnas in sacris Canonibus, constitutionibus Apostolicis et indicibus librorum prohibitorum contentas incurrere volumus et declaramus.

«Decernentes, ut præsentis litteræ postquam in valvis, etc., affixæ fuerint infra duos menses ex tunc proximos, omnes, et singulos, ad quos spectant, arcant, et afficiant, perinde ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent; quodque dictis duobus, et respective quatuor mensibus durantibus, ii, qui libros prohibitos habuerint, eos ad episcopum, seu inquisitorem, qui illos quantumcuius comburere debeat, deferre, quique aliquos similes libros prohibitos habere sciverint, eos denunciare teneantur. Neque de cætero similes licentiæ, nisi a Congr. S. Officii, dum singulis hebdomadis coram nobis habetur, vel ab aliis per Nos etiam in ead. Congr. specialiter deputandis, concedantur etc.» *Dat. sub die 1 Aprilis 1631.*

Ubi, ut vides, hæc ultima verba, *Aliquos similes libros prohibitos*, referuntur ad priora: «Libros quoscumque ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, seu per constitutiones Apostolicas, etiam Astrologiæ judiciariæ, vel alios quomodolibet prohibitos.» Unde præfati Summi Pontifices præcipiunt, denunciandos esse a scientibus detinentes libros quomodo libet prohibitos etiam ob aliam causam, quæ non sit hæresis, aut falsi dogmatis suspicio.

14. Hinc qui assereret, posse in conscientia retineri libros prohibitos non ob hæresim, nec ob falsi dogmatis suspicionem, sed solum ob aliam causam, v. gr. quia sunt contra bonos mores, et hujusmodi, esset denunciandus, ut assertor propositionis temerariæ, et scandalosæ. 15. Item denunciandus esset, qui assereret, quod libri non perpetuo prohibiti, sed donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur; sicuti etiam denunciandi essent retinentes tales libros; Alexander enim VII, die 18 Martii 1666, merito damnavit inter alias sequentem propositionem 43 in ordine: «Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usquedum adhibita diligentia corrigantur.»

16. Habentes libros quomodocumque prohibitos, non satisfaciunt illos comburendo, sed necessario eos deferre debent inquisitoribus. Sic statuit Julius III, constit. incip. *Cum meditatio*, et Pius IV, constitut. incip. *Pro munere*, et tenent Sanchez, lib. II *Moral.*, cap. 10, n. 56; Palao, de *fide tract. 4.*, disp. 2. punct. 20, § 2, n. 12; Barbosa *De offic. et potest. episcopi*, part. III, alleg. 90, cum pluribus ibi citatis, et aliis passim.

17. Unde libros prohibitos propria auctoritate comburentes, et ipsos non consignantes inquisitoribus, cum possunt sine gravi suo incommodo, et periculo, peccant mortaliter,